

viæ, reliquis verò mensibus æstus & siccitas ita regnent, ut nocte iter facere debeant; paulò ante vero p. 512. generatim iterum inculcantem, in omnibus Indiis inter utrumque Tropicum verissimum deprehendi, quòd duo habeant anni tempora, quorum unum, calidum & siccum, æstas dicenda sit, alterum calidum & humidum, æstati Europææ pluviali simile, brumæ vicem suppleat; & licet hyberni & æstivi temporis finis ac initium, ob particularia incidentia locorum, tum & Æquatoris majorem vel minorem vicinitatem, non in idem incidant, plerumq; tamen annus sex circiter mensibus ad humidum, & totidem ad siccum vergentibus, absolvatur: Ut adeò in utrisque, tum præsentis tum præcedentis Phænomen. casibus, statæ sint & magis certæ, quàm in temperatis Zonis, annuarum tempestatum, vicissitudines; quod idem de ventis quoque verum esse deinceps constabit.

*PHÆN. IX.* Illud prius, tanquam planè singulare, observandum venit, quòd inveniantur in terris regiones, ubi nullæ cadant anno toto pluvia. De Ægypto non olim tantùm hæc percrebuit traditio (attestantibus *Plutarcho* de fac. Lun. & *Ctesia* apud *Photium* in Biblioth.) sed hodiernum Viris Philosophis plerisque creditur, ut *Gassendo* Scient. Phys. Sect. III. p. 76. *Honorato Fabri* Phys. Tr. VI. Lib. III. Prop. CXVIII. aliisque in causam ejus rei naturalem ex professo inquirentibus, in Ægypto, saltem ulteriore, ac (quod addit *Gassendus*, quamvis omnia ex fide aliena) aliis Libyæ Indiæque regionibus, nunquam fere pluere; *Curtio* quoq; Lib. IV. cap. VII. attestante *terrâ cæloq; aquarum inibi penuriam esse*, tametsi paulò post in itinere Alexandri ad Hammonis oraculum (id verò in Citeriore Ægypto situm erat) *obductas cælo nubes condidisse Solem*, narret, & *largum imbrem excussisse procellas*. Augere verò fidem rei insolitæ recentior Hispanorum observatio potest, quorum oculari testimonio freti Geographi (nominatim *Varenius* p. m. 508. & 510.) hoc Peruviam cum Ægypto & aliis nonnullis locis commune habere, asserunt, ut nunquam ibi pluat anno toto (*Dapperus* in Amer. p. 333. addit, nec tonitrua audiri, nec fulgura sentiri, neque nives neque grandines cadere) sed pro hyeme à mense Aprili ad Octobrem usque hoc censerit, quod singulis fere diebus aër sit nebulosus & solem tegat, densæque nubes ita conspiciantur, ac si mox pluvia affutura esset, quæ tamen non sequatur, sed ros tantùm vel psecas, (*Ein Staubregen*) idque imprimis